

Bibliothèque numérique

medic@

**Tessier, Henri-Alexandre - candidat /
Baignères, Jean-Baptiste - président. -
An à febre vulgari intermittente citò
compescendâ abstinendum ?**

1775.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°65***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0065



DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LXXV.*

M. JOANNE-BAPTISTA Baigneres,
Doctore Medico, Præfide.

An à febre vulgari intermittente citò compescendâ abstinendum?

I.



UEMADMODUM navis, quæ longum habet iter per maria, vel zephyris afflantibus lenè vehitur, vel horrendum in modum agitur procellarum vi; sic homines, modò vegeti & alacres, vitæ fruuntur deliciis, modò miseros trahunt dies, omnigenis obnoxii periculis. Hanc in felicitatem, quam secum affert sanitas, mille morbi, alii aliis truculentiores, inter se veluti conspirant mortemque aut infirmitates ipsamet morte peiores minantur. Plurimæ patent viæ ad Orcum proclives & ex innumeris videtur scaturire fontibus flumen cuique enavigandum. Sed beneficam in periculo imminente confert miseris opem Medicina, artium præstantissima, quæ tuetur incolumes, labantes erigit. Sua insuper cuilibet animanti virtus inest, ex partium indole nascent, perpetuò vigil, omnibus organis, fibris punctisque corporis insita, quam Medici vim vitæ vel naturam appellant. Hæc ab eo, quod functiones lædit, excusitata & admônita suum exerit imperium, ut ordinem, consortium amicam-

A

que inter solida & fluida consuetudinem restituat firmetque. Quot morbos præcavet, causarum actionem obtundendo? Quot sanat ex iis, qui medicamentorum vim eludere? Eâ deficiente, in morbis acutis corpus labefactaretur, non absolverentur crises, nec expulsiōi humoris nocivi daretur locus. Desperatam in chronicis revocat sanitatem paratis in secreto specificis utens, quæ certò applicata salutiferos producant effectus. Non indè tamen ipsi omninò fidendum esse arbitritur quisquis sapiens naturæ impotentiam in multis casibus artisq̃ medicæ necessitatem noverit; sæpè enim graviore morbo oppressa, miserè occumberet, ni labanti succurrerent pharmaca. Ex iis vires mutuatur novas, quarum ope nocivum valet abigere humorem vel symptomatum vim compescere. Assiduus morbi procedentis speculator Medicus, naturæ interpres & minister, nihil agit, nihil molitur, nisi congruo tempore, nisi ipsa fatiscens & superando hosti impar, artis auxilio indigerit. Turma vilis balatronum remediis ægros obruat, nullâ nec speciei nec statûs habitâ ratione: consulere naturæ, meditari quid valeat, quid recuset ferre, tempestivè auxiliari, hæc clinicorum suprema lex esto. Talis curandi methodus præcipuè adhibenda est in illâ febre, quæ ob accessiones intervallis distinctas regularibus, intermittentis nomen sortitur. Qui morbus, diuturnior ut plurimum, raro lethalis, ruris sæpius quàm urbium incolas laceßens, peculiari donatur caractere non facilè explicando. Ecquis enim hujusmodi febrium diversitatem, constantem accessionum regressum, cujusque accessionis phænomena non obstupeat? Novit Medicina, quibus mediis hæc possint profligari; novit pariter, quàm sit periculosa citior curatio. Præcipuum artis sanandi fundamentum est ipsamet observatio, quâ patet in intermittente febre à promptioribus esse abstinendum remediis, quæ post plures tantum peractos insultus administrari debeant. Prudentem hanc in procedendo cunctationem suadebunt exposita symptomatum phænomena, peculiaris morbi indoles, delibata paroxysmorum causæ, ratiocinia experimentis probata; confirmabunt exempla Veterum, hodiernaque demùm melioris notæ clinicorum agendi norma.

I I.

TRIPLEX, solemni institutâ divisione, febrium species agnoscitur. Prima eodem tractu unoque tenore stadium suum percurrens, continua dicitur; altera hu'us æmula, discrepat tantum, quia motus febrilis continuatus identidem exacerbatur & remittitur, undè remittens vocatur; tertia demùm intermittentis nomen obtinet, quòd, statis inter accessiones intervallis, liber penitus sit ager à febre. Duabus prioribus omissis, nonnulla posteriorem spectantia eò loci evolventa, discutienda & pro viribus elucidanda incumbunt. Præcipuum in intermittentibus constituit discrimen diuturnitas temporis inter paroxysmos intercedentis; undè si singulis diebus renascatur extingaturque febris, quotidiana; si secundo quolibet die sopita, tertio resurgat, tertiana; si denique duobus liberis & vacuis, quartus quilibet dies paroxysmum reducat, quartana nuncupatur. Hæ frequentius tyrannidem exercent. Non desunt tamen exempla quintanarum, sextanarum, quin menstruarum & annuarum. Sæpè tertiana duplicatur accessio, sæpè quartana triplicatur duplicaturve, ita ut in alterâ nullus sit dies à febre liber, in alterâ autem aut nullus aut unicus tantum; hinc duplex tertiana & triplex quartana, quæ quotidianam mentiuntur; hinc duplex tantum quartana, cujus paroxysmus adventitius, modò antecedit, modò insequitur primarium, Triplicem

autem quartanam aut duplicem tertianam à quotidianâ facillè distingues, siquidem hujus, non autem illarum, singulis accessionibus idem est typus. In duplici enim tertianâ paroxysmus primæ diei respondet paroxismo tertiæ & accessio secundæ diei similis est accessioni, quæ quarto die accidit. Item, in duplici aut triplice quartanâ paroxysmi adventitii adventitios, primarii primarios, quarto suo redeunte die, accuratè referunt. Tandem, quamvis illud rarissimè contingat, quandoque in tertianâ duplici bis uno die, altero autem semel redit paroxysmus. Eadem ut plurimum diei horâ renovantur paroxysmi, qui tamen sensim viciniore sunt, si regimen aut causa intus agens, eos à statuto ordine disturbant. Simili ratione in continuum incidit intermittens, ut continua in intermittentem; quinimò mutatis vicibus saltem ad tempus & Autumno, quartana tertianæ in locum cedit, aut quæ modò tertiana erat, typum quartanæ induit. Hæc de febrium intermittentium diversitatibus; quas si Physicus contemplans demiretur, non minus perfectis paroxysmorum phænomenis obstupebit. Inter symptomata febrium intermittentium alia omnibus sunt communia, alia in unius, minimè verò in alterius speciei paroxysmis, vel cum diverso intensitatis gradu sese manifestant. Cum autem quilibet paroxysmus spectari possit ut morbus peculiaris, suis legibus astrictus, suis conclusus stadiis, varia apparent in invasione, varia in incremento, varia in decremento phænomena. Scilicet in universum incipit accessio quævis rigore & horrore, quos sæpè antecedunt oscitatio & pandiculatio. Frigore correptum febricitantis corpus validè succutitur, lingua & fauces præ siti arescunt, respiratio difficilè peragitur, pallent digiti, labia, nasus & oculorum canthi; excitantur nausæ & vomitus; urina cruda & tenuis, qualis in constrictionibus emitti solet; pulsus parvus, debilis & citatus: primo huic tempori, quod Sydenhamus tempus *exhorrescentiæ* vocat succedit alterum. Discusso paulatim frigore, paulatim calor suboritur, increfcit, æstuat; liberius trajiciente vasa sanguine, validius pulsant arteriæ suæque pulmonibus restituitur actio. Faciem tùm cernere est rubentem, nec non subluteum urinæ profluvium; perstant sitis, interdum nausæ & vomitus. exoritur dolor artuum & præcordiorum angor. Secundus hic status ob humorum rarefcientiam ab autore mox dicto tempus *ebullitionis* appellatum fuit. Ultimò, minuuntur hæc symptomata evanescuntque, donec sub declinatione copiosus ex omni corpore diffluens sudor, ægro solamen & paroxysmi finem afferat. Urina tunc temporis emissâ, sæpius sedimen-um continet; quandoque etiam alvus solvitur. Quare non immeritò tertius hic status ad sensum Sydenhami *despumationis* tempus haberetur. Hæc febrium intermittentium paroxysmos constituunt symptomata, quorum præcipua diversam pro diversâ specie obtinent intensitatem, nonnulla autem in quibusdam tantum prodeunt. Sic in quartanâ lien intumescit, nigrescitque lingua. Qui hocce morbo laborant, vehementiori rigent frigore, ad dentium usque fridorem membrorumque immobilitatem; quidam mente non constant & inania loquuntur; pulsus rigidior & contractior, quàm in aliis febribus; calor plerumque mitis tardiùs ingruit, nec tanta effluit sudoris copia. Minori obnoxia tremori tertiana in majorem calorem ac proindè sudorem erumpit. Moderata in omnibus quotidiana, leviori frigori idque consequenti calori dat ortum; sudor indè minimus, qui sæpè primis morbi insultibus nullus, morbo tantum procedente paulisper concitatur; hujus diuturniores sunt paroxysmi. Duabus potissimum anni tempestatibus invadere solent febres intermittentes, Vere nempe & Autumno. Quòd si hyemali aut æstivo tempore occurrant nonnullæ, ad alterutram ex dictis tempestatibus revocantur, nimirum ad illam, à quâ minùs recedunt. Vernaes

ut plurimum Februario mense, Autumnales Augusto oboriuntur. Harum accedente tempore, illæ fugantur. Quæ Veris sunt, ferè omnes quotidianæ aut tertianæ observantur, rarò diurnæ, sæpissimè salutare: quæ autem Autumnæ, tertianæ & quartanæ tantum, periculo non vacant & diuturniore tempore febricitantes divexant; quartana imprimis cæteris contumacior. Ex his patet febres omnes intermittentes, etiamsi consimili modo suos exerant paroxismos, à se differre tum ratione typorum, tum ratione moris & temporis. Nec autem satis est, si diversitates & phænomena enumeravimus; discutere causas nec erit inutile, nec alienum.

I I I.

QUAMVIS Physicus miram solidarum corporis humani partium structuram, fluidarum indolem, harum in illas reciprocam actionem, necnon requisitas ad liberum functionum exercitium conditiones diversasque ipsarummet læsiones noverit, nulli tamen hucusque, nisi effectuum naturam & relationes ritè exploranti, latentes in obscuro proximas morborum causas detegere concessum fuit. Cum autem illi effectus diversimodè observari queant, ex iisque complures ab eodem fonte dimanent, aut secundarii tantum, primariis adhucdum occultis, innotescant; hinc multi in errores incidunt tantaque oritur inter ejusdem causæ investigatores dissensio; hinc de proximis febrium intermittantium causis differentes Medici in varias abeunt opiniones. Quibus ad tempus sepositis, remotas earundem causas prius perpendere juvat, quæ in praxi peritiles ad occultarum etiam cognitionem valent conducere. Febres intermittentes seu verno, seu autumnali tempore invadentes primitus ortum ducunt ab aëris constitutione, ab alimentorum copiâ & qualitate, à viscere obstructo, depravatis aut turgescensibus quibusdam succis & à nonnullâ in nervis sensibilitate. Indè Vere & Autumno potissimum grassantur, priore scilicet tempestate, quia spiritus, dum sævit frigus, inertes, accedente tepore exsuscitantur, viscidosque humores quibus irretiuntur, ad ebullitionem excitant; posteriore verò, quòd nimis concreti caloris æstuantis vi, iidem humores humidior indigeant tempestate, qualis est Autumnus, ut fermentescant & depurentur. Si Hyemi frigido & sicco succedat Ver humidum & tepidum, frequentiores sunt intermittentes vernaes, autumnales verò si in Autumnum humidum & frigidum abeat Æstas calida. Sæpiùshomines laceffunt, qui vitam agunt in sylvarum aut aquarum stagnantium viciniâ, quàm qui felici gaudentes situ purum & siccum aërem spirant. Quando fructus horæi uberius colliguntur, numerosiores occurrunt. Ab iis tutos se facillè non præstant lienosi, aut qui aliâ laborant obstructione, qui gulæ nimium inservientes parùm cautè crudis vescuntur cibis, & ii qui ferotâ turgent colluvie. Narrat demùm Swietenius puellam subito & ingenti terrore perculsam, febre intermittente fuisse correptam. Indè patet multiplex febrium intermittantium causa remota; proxima autem non ita facillè innotescit. Sydenhamus, cujus observationes sincerum naturæ interpretem arguunt, insensam tunc inesse putat œconomix animalis materiam, quæ sanguini nec assimilari nec misceri potest, sed tumultum excitat in vasis, donec exortâ quâdam fermentationis specie, per partitas vices seu distinctos paroxismos tota emigret. Boerhaavius triplicem admittit, nempe viscositatem sanguinis, fluidi nervei ad cor distribuendi inertiam & impressum validiorem cordi motum, ut, quod intus confrescit, conquassetur fluidiusque fiat. Swietenius suspicatur miasmata epidemica & impressum spiritibus, nervis vel horum origini caracterem, per quem statò tempore paroxismus renovatur. Si Richardo Morton fides habeatur, febres inter-

mittentes pendent a fermento venenato in gremio spirituum delitescente. Censet Fracassini aggeri in vasis capillaribus moleculas salino-acres, quæ & viam humorum obturant & nervos irritant; unde sollicitatum cor ad contractiones insolitas, motum excitat febrilem toties renovandum, quoties novæ moleculæ pari modo congeruntur. Harum quidem opinionum diversitas, cæteris omisissis, causæ explicandæ minimè conducit; quæ tamen ut melius elucescat, subjicienda veniunt quæcumque edocent ratio & experientia.

1°. In abdomine sedet febrium intermittens causa, (a) ut indicant nausæ, vomitus, præcordiorum angor, hypocondriorum tensio aliaque paroxysmorum phænomena; febres intermittentes à pravis digestionibus ortæ, cathartici sanatæ; iisdem promptiore medelâ sublatis, viscerum abdominalium intumescencia, icterus, hydrops; specifici adminiculum tum in ventriculo tum in intestinis; fœtus in abdomine commendati. 2°. Eadem causa maximè consentire videtur cum eâ, quæ febrem producit continuam. Sæpè similia utrinque exurgunt symptomata; qui hæc vel illâ laborant, iisdem perseverante morbo eoque penè fugato, incommodis afficiuntur; quinetiam tertiana duplex & triplex quartana à continuâ parùm discrepantes in eam faciliè immutantur. 3°. Compar magis variarum febrium intermittens causa deducitur à paroxysmorum similitudine & conversione unius speciei in alteram. Ex his consequitur causam febrium intermittens esse humorem heterogeneum in abdomine delitescens, qui prout tenuior acriorve fuerit, quotidianam, tertianam, quartanam, cæterasque ex iis dimanantes progenerat. Et certè, quàm sæpissimè solis cathartici & etiam diluentibus multæ evanuerunt! Urina sub paroxysmorum fine febrilis materiæ partem continet; quibusdam tunc alvus relaxatur. Si quando sudore nocivi humoris partem per poros cutis abripiante paroxysmus non solvitur, ab eo æger non convalescit, imperfecta est ἀρρηξία & morbus fit contumacior. Indè deducitur variorum intermittens cujuscunque phænomenorum explicatio. Fluidior in quotidianâ febrilis humor frequentiores producit paroxysmos, quàm in tertianâ & in quartanâ. Minus vehementes sunt paroxysmi adventitii, quàm primarii duplicis tertianæ, duplicis & triplicis quartanæ, quia modò minor, modò major vasa subit sanguinea humoris copia; qui si ex viscoso in fluidum, ex fluido in viscosum abeat, quartana in tertianam, hæc in illam mutatur. Utraque continuæ febris morem & indolem suscipit, vel continua alterutris vices occupat, prout, causâ superveniente, idem humor varium fluiditatis viscositatisve gradum acquirit. Sic ubi venenosa miasmata in corpus irrepunt, morbi indè nati citius ad ἀρχὴν perveniunt, si virus sit subtile, quàm si lentum & tenax in vasis langueat. Non à consistentiâ, sed ab acrimoniâ oritur discrimen inter cujusque intermittens impetum; unde acerrima in quartanâ, mitior in tertianâ, lenis in quotidianâ humoris qualitas. Tandem, ideò natura corpus nocente materiâ liberare satagit distinctis paroxysmis, quia fortè ea est istius indoles ut nonnisi partitis vicibus subigi & abripi possit. Sic in liquoribus fermentativis non singulæ partes simul fermentescunt; sic humor, unde epilepsia, rabies, arthritis &c, certum exigit temporis spatium ut paroxysmos exciter. Hæc de febrium intermittens causis; quibus in explicandis si verosimili potius indulsumus conjecturæ, quàm veritati, quæ in re tam arduâ non elucescit, parcendum. Nunc sedulum ad ea, quæ curationem spectant, animum convertamus.

(a) Vide Thel. M. Desbois, D. M. P. 1774. An præcipuus fœtus febrium intermittens fomes, regio epigastrica?

I V.

IN instituendâ morbi benè cogniti curatione duo consideranda occurrunt, remedia nempe & opportunum medendi tempus. Non parùm quidem ægrotantia

interest ut Medicus remediorum naturam, vim & agendi modum cognoscat; magis autem fortassis, ut momenta iisdem adhibendis dicata nec prætermittantur, nec prævertantur. Sic incipiente inflammatione sanguinis effervescentia imminuetur venæ sectione, quæ lethalis erit sub morbi declinatione, in quâ necessarium est ad resolutionem, quidquid superest virium. Simili prorsus ratione sunt morbi, quibus compescendis citissime incumbendum est; sunt quibus moderata requiritur cunctatio. Cum intra capitis anfractus humor nimis abundat aut expanditur, oppressa nervorum origine, citò sufflaminantur vitales functiones, ni promptiorum remediorum ope, ad inferiores corporis partes revocetur. Idem contingeret, si urinæ in vesicâ retentæ non subito promoveretur effluvium, vel si refluus in vasa sudor, non denuò ad cutim dirigeretur. At quantum his in angustiis conducit, tantum febribus intermittentibus nocet celerior medela. Alibi periculum in morâ, alibi in festinatione. In dictis enim casibus natura morbi obruta pondere languet, fatiscit, occumbit; in intermittentibus autem febribus, suarum domina virium contrâ nocivum humorem acriter luctam movet, non cessuram, quin hostis aut omninò, aut partim profligatus fuerit. Hanc interturbare, quamdiù rerum potitur imperio, nec utile, nec extrâ periculum. Febris enim quid aliud est quàm instrumentum, quo natura utitur ut impuras partes à puris secernat easque abigat de corpore? Plurimi & pertinacissimi morbi febrium intermittantium auxilio sanati fuere. Quæ Veris sunt, densatos hyemali frigore humores exagitant; quæ Autumnî, inspissatas ab æstivo calore partes validis succussibus fluidiores efficiunt; hæ & illæ nihilominus corpus ab acri & putrido quocumque liberant. Sic sentiebant antiquioris Medicinæ recentiorisque duces. Horum primarius Hippocrates monet (a), quartanam cæteris diuturniorem ab aliis morbis corpora vindicare & quibus illa supervenerit, si convulsio-nibus torquebantur, jam ab iis fieri immunes. Boerhaavius (b) interrogatis pluribus senibus, qui antea florenti ætate febres intermittentes passi fuerant, asserere non dubitat ab iis febribus, nisi sint malignæ, corpus ad longævitatem disponi & ab inveteratis malis depurari. Vir quidam, referente Swietenio (c), cephalæa perenni laborans, quartanâ superveniente, inducias obtinebat. Vividas cordis palpitationes celeberrimi *La Hire* quartana sustulit. Neminem vernâ febre intermittente enecatam fuisse (d) testatur Sydenhamus. Autumnales autem periculosiores, quandoque lethiferae, si infirmos aut senes laceßant, vel si imprudenti remediorum usu ingravescant; rarissimè verò ex se mortem inferunt. Sunt igitur conamen naturæ humoris nocivi exitum molientis ac proinde absque periculo sibimetipsi aliquamdiù permittendæ. Observavit Sydenhamus febres intermittentes maximam habere cum continuis analogiam, siquidem alias vocat aliarum veluti compendium. Cùm autem censet in posterioribus tamdiù febrem esse permittendam, quamdiù salus ægrorum passa fuerit, sic in prioribus expectandum esse judicat, *donec morbus suo se Marte aliquantisper protriverit*. Cùm eo consentiant Hippocrates & Galenus, dum alter (e) septimum diem febrium continuarum assimilât septimo intermittantium paroxismo; alter autem (f) accessiones febrium intermittantium respondere diebus criticis acutarum affirmat; undè ut in continuis, sic in intermittentibus critici dantur paroxysmi Medico non prævertendi. Quod clariùs patebit, ubi exposita fuerint promptioris curationis incommoda, tardioris commoda. 1°. Remedijs præposterè adhibitis, febris intermittens continuæ caracterem induit & inde periculosior evadit. Plures enim, teste Sydenhamo, hisce febribus in continuas vergentibus occubuerunt; plures etiâ, ob compressas autumnales intermittentes incauto corticis peruviani adminiculo, in

(a) Epid. lib. 1. Comment 3. text. 4. Charter. tom. 9. pag. 88.

(b) Aphor. Sect. 5. n°. 70. Charter. Ibid. part. 2. pag. 242.

(c) Vanswieten in aph. Boerh. Tom. 2. §. 754.

(d) Thom. Sydenhami praxis Med. cap. 5. pag. 102.

(e) Hippoc. progn. comment. 2. text 2. Charter. Tom. 8. pag. 667.

(f) Galien, pag. 124. vol. 2.

icterum incidere pertinacem, donec Vere proximo easdem febres experirentur. Altiores quoque figit radices idem morbus, si emetica & purgantia intempesti è assumantur. Postremo, hanc pravam medendi methodum subsequuntur hydrops, asthma, icterus, nervosi systematis *212*, cachexia, febris ipsiusmet validior recrudescencia. 2°. Quàm diversi ex tempestivâ curatione prodeunt effectus! nulla intermittens in continuam conversio, nullum periculum, nulla contumacia. Soli naturæ concessi priores insultus partem destruunt humoris, qui postea minus purgantibus resistit. Expulsa dein omni nocente materiâ, si exhibeatur specificum, febris vestigia tollit aut si nonnulli aliquo elapso tempore resurgunt paroxysmi, curationem penitus absolvunt. Venam in tertianâ non incidebant (c) Arabes, nisi post tertium paroxysmum. Ballonius quinque aut sex accessiones naturæ permittebat. Tandem meliorum nostræ ætatis clinicorum agendi ratio rem extrâ dubium constituit. Hi enim, nisi febris intermittens sit maligna & ægri vires labefactentur, plurimos excurrentes paroxysmos otiosi spectant. Quibus peractis, naturæ auxiliantur, ne morbi pondus diutius ipsa sustinendo occumbat. Tunc si plethora adsit, venam secari jubent aut propinari emeticum mitiorave purgantia diebus à febre vacuis. Ubi ab omni expulso nocivo humore nihil pertimescendum, specificum contra febrem intermittentem purgantibus semper mixtum, felici cum successu præscribunt. Quandoque morbum sola fugant cathartica, quandoque nonnullæ intermittentes etiam specifico resistunt. Quo in casu res tota naturæ committenda est, nec periculum inde reformidandum. Vulgares ergo febres intermittentes, utpotè molimen naturæ, sæpius salutare, raro periculosum, non citius compellantur; præsertim cum tot incommoda à citatiore curatione, tot commoda à tardiore disfluant.

(a) Bailloa;
v. 2. pag. 174.

V.

EX dictis constat, quàm sit periculosum febres intermittentes citius curare; quàm utile easdem nonnisi post aliquot paroxysmos remediis debellare. Moderandus interdum nimius ardor & inconsideratus animi affectus, quo decumbentem ægrum citissime sublevare exoptamus. Dum mora tuta est, cunctari juvat, ut securius & absque reversione morbus profligetur. At, inquit nonnulli, præcipuum medici munus est quàm citissime sanare, ne sibi commissus invalescat morbus, difficiliusque dein eradicetur; unde dolorum diurnitas & exacerbatio & virium jacturæ. Si à vellicante humore oriatur, cur non citò depellatur infestus hospes? Si verò spasmodica sit affectio, cur eam non celerrimè compesceret Medicus? Hæc quidem optimè. Fatebimur sanandos esse citò morbos, qui subito functiones vitales pessumdant, quales sunt apoplexia, alicujus humoris excrementi suppressio, hæmorrhagia, &c. sed cum periculosa nimis foret festinatio, ut in febribus intermittentibus cunctandum est. Sic qui nascentem diarrhæam comprimere, aut abcessum criticum resolutivis tentat impedire, morbum fugato pejorem procreat. Succussus & sudor in paroxysmis diffluens febricitantem debilitant quidem, sed partem humoris subigunt & singulâ vice eliminant; inde magis prolunt quàm nocent. Aliundè in principio morbi vires adhuc vigent & quas aufert paroxysmus, eas dies à febre liber restituit. Rarò febris intermittens naturæ aliquamdiu concessa & postea aptis remediis debellata, sit contumacior; sed non item, si à primis accessionibus ejus solutio tentatur. Non benè febrem intermittentem ut morbum tantummodò spasmodicum spectaveris; quamvis enim in quibusdam orta sit à vivido animi pathemate; quamvis adaugeatur in paroxysmis sensibilitas,

tamen ab intermittentibus liberi evasissent, nisi adfuisset humoris nocivi fomes. Cujus præsentiam evincunt hinc diversitas sensibilitatis in infantibus, in adultis, in fœminis & in ruricolis eâdem intermittente laborantibus; illinc mitiora post egestiones paroxysmorum symptomata; necnon recens vulgata methodus, quâ antispasmodica in febribus intermittentibus administrantur medicamenta. Hæc enim in eo consistit ut prius diluentis aperientive potus, vomitorii, enematumque relaxantium beneficio æger fruatur. Dein, post elapsos quatuor in quartanâ, sex in tertianâ, novem in quotidianâ paroxysmos, octo & decem circiter liquoris mineralis anodynî Hoffmanni guttæ, vehiculo immixtæ aqueo, propinantur; quo peracto semel aut pluriès, unâ semper antè accessionem horâ, curatio cathartico- & etiam corticis peruviani ope absolvenda. Non indè quoque infingitur moderatæ in fugandâ febre intermittente cunctationis utilitas, si quidem in dictâ methodo opportunum medendi tempus non prævertitur; nec minùs etiâ elucescit disquisitionis conclusio.

Ergò à febre vulgari intermittente citò compescendâ abstinendum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Sanctus-Ludovicus GUIN-
DANT, è Regiâ Scientiarum
Societate Monspelienfi.

M. Antonius-Laurentius DE
JUSSIEU, Regiæ Scientia-
rum Academiæ Socius.

M. Anna-Carolus LORRY.

M. Philippus-Alexander BA-
CHER.

M. Joannes-Jacobus NOLLAN.

M. Bernardus-Nicolaus BER-
TRAND.

M. Claudius-Andræas GOV-
BELLY.

M. Benjaminus-Michael SO-
LIER DE LA ROMILLAIS,
Anatomes, & Artis obstetricæ
in gratiam Matronarum pro-
fessor designatus.

M. Stephanus-Ludovicus GEOFFROI,
Regi à Consiliis & Se-
cretis & Societatis Botanices
Florentinæ Socius.

Proponebat Parisiis HENRICUS-ALEXANDER TESSIER, Carnutenfis,
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Autor,
A. R. S. H. 1775. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1775.